

ILLUSTRISS. AC REVERENDISS. DOM.

D. THOMÆ RVFO

Dei, & Apostolicæ Sedis gratia Archiepiscopo Niceno,

Utriusque Signaturæ SS. D. N. INNOCENTII XII. Referendario, Prelato Domestico, & Episcopo Assistenti,

Ac eiusdem SS. & S. Sedis prædicta penès Regiam Cælsitudinem Sereniss. COSMI III. Magni Etruriæ Ducis, cum potestate Legati de Latere,

NVNTIO APOSTOLICO,

SUAS

EX SACRA THEOLOGIA THESES

PUBLICE PROPUGNANDAS

FR. ALBERTUS Mª LOMBARDI CARMEL. ARRIMIN.

D. D. D.



Florentiæ, Ex Typographia Petri Matini. 1700 *Sup. perm.*

ILL.[me] AC REV.[me] PRÆSUL.



Oram Te constitit tandem Theologia nostra, ILL.[me] ac REVERENDISS. PRÆSUL, inter tot, tantosque ætatis nostræ Viros, Amplissimum Mœcenatem veneratura; diù enim circumerraverat nonnullos mirata, aut morum probitate, aut Nobilitate Generis, aut Ecclesiasticæ Dignitatis maiestate conspicuos; neminem tamen se dignum comparavit, nisi Te unum, in quo collectas obstupuit virtutes, quæ in alijs dispersæ numerantur. Quanta in Te nimirùm sunt admiranda! Cumulant alij fumosas in atrijs Imagines peractis sæculis non oblitam suæ Prolis memoriam præseferentes: distinguunt alij, quos vel cuiusdam honoris Titulus, vel Magistratuum Dignitas quædam illustravit. RUFORUM Familia oblitam originem, penè dixe-

rim, sentit; quia sæcula percurrere consuevit, non annos: Quamobrem longum esset iter, ILLVSTRISS., ac REVERENDISS. PRÆSVL, ire per singulos Maiores Tuos, quorum ullus ab Avorum splendoribus lucem emendicare visus est; Vnusquisque enim, quo Filij, & Nepotes illustrarentur relinquere certavit: Gesserunt Illi propemodùm omnes honorum Titulos, Fasces præcuntes habuerunt, illustrarunt Sagum & Togam, ornarunt utramque Purpuram; Quoties pro Fide, & pro Rege pugnantes, & pro utreque vincentes extitere? Verùm tuæ ætatis ornamenta ab anteactis sæculis non desumenda: Habes cur glorieris in Fratribus: Nec minor est tua laus tot habuisse Heroes iam mortuos, quam habere viventem Germanos Principes, qui tantum Cives Dignitate superant, quantum virtute antecellunt. Tu verò mavis tot dotibus, ac virtutibus Tibi ipsi esse maximum decus, & in uno Fratre Maiorum virtutes superatas; itaut modò non alienæ debeant dici, quas fecisti proprias: Collegisti omnes in Te, ut Maiorum Ma-

ximus

ximus appareat; tantum decoris unicuique Tuorum afferens, quantum Ipsi omnes Tibi uni attulerunt. Vtinam PRÆSVL ILLVSTRISS, ac REVERENDISS. minus in Tuis laudibus haberes pudoris! Quæ de Te non essent reticenda! Qui in Iustitia totus humana coniungis Diuinis, nec confundis; Pietatem altricem habuisti, quam foues; Tecum nata est Sapientia, quæ Tecum adoleuit, itaut nunc ipsa sis Sapientia; ideoque grauitatem induis, lenitatem non deserens; Humanitate teneris non vinceris; omnibus charus, nulli inuitus. Pater concelebraris Religiosis cœtibus, quos semper amasti, amabilis omnibus, quos delicias Tuas deprædicas, dum Te facis illorum delicium; Eorumque profectum, & incrementum desiderans in laboribus semper es, in delicijs numquam: nihil leuaminis pateris, aut si quid quietis coactus assumis, ad maiora dirigis capessenda; promerita non ambis munera; munus tuum est communi bono laborasse: Simul utriusque Fori vicem geris, & utriusque vicem distinguis; attollis sacra, nec humana despicis;
 con-

consecras Civile Canonico, & utrumque concilias: corrigis delicta, delinquentem non fastidis: Odis culpam, non Reum, amas corrigere, non deprimere; Totus Pater; Totus Præsul: Obtemperabo tamen Modestiæ Tuæ nutibus silentium iubentis; sed hæc erit laudum tuarum summa, habere quo lauderis, & nolle laudari. Sat itaque fuerit si nostræ Theses fronte gerent Nomen THOMÆ RUFI non amplificationis fuco, non titulorum ornatu, non rhetorum phaleris exornatum; maximum enim Tibi elogium est Nomen Tuum. Quem igitur non Virum tantùm; sed & Amplissimum Mæcenatem invenimus; Theses has propugnandas, ut illas, quo soles animo patrocineris, dedicare non erubescimus. Valeas diutiùs, ILLUSTRISS, ac REVERENDISS PRÆSUL, & qui compos es magnæ virtutis, sis pariter compos maioris felicitatis, ac fortunæ. Sic voveo ex Conventu N. Carmelit. Florent.

Reverendiss & Illustriss. Dominat. Tuæ

Humillimus, & Addictissimus Servus, & Famulus
Fr. Albertus Maria Lombardi Carmelita.

SCIEN-



SCIENTIA DEI.

I.



EUM esse intellectivum ex eius immaterialitate ritè colligitur. Cognitio Divina veram habet rationem Scientiæ comprehensivæ, non discursivæ. Omnium scibilium pariter unica, & simplex est Scientia, adeoût neque per intellectum multiplicari, & dividi valeat. Causa est rerum omnium. Adequatè partitur in Scientiam simplicis intelligentiæ, & visionis. Media inter utramque adinventa superflua est, & repugnans.

SCIENTIÆ DIVINÆ OBIECTVM.

II.

Licèt Essentia Divina sit Divinæ Scientiæ obiectum primarium, creaturas tamen secundum esse proprium, & specificum Divinus intellectus verè cognoscit. Sic autem creaturæ cognoscuntur à Deo, ut neque immediatè moveant, vel terminent Divinam de illis habitam cognitionem. Eas igitur in Essentia cognoscit, non quidem ut in specie expressa, vel impressa, neque ut in speculo, vel imagine, sed ut in causa. Privationes item, & entia rationis, mala quæcumque sivè pœnæ, sivè culpæ in habitu, sivè forma opposita cognoscit, ut & infinita in actu Deum simplici intelligentia cognoscere asserimus.

FV-

FVTVRA CONTINGENTIA.

III.

DEum futura omnia prævidere credimus. Hæc autem cognoscit non in eorum, veritate obiectiva, neque in voluntate creata, vel increata compræhensa, vel super compræhensa, sed in existentibus de illis decretis; neque enim potest aliquid firmi, & certi circa liberos eventus in voluntate omninò indifferenti rimari, quousque Divini decreti opera, alteram contradictionis partem sit determinata. Conditionatè futura, quæ cum conditione numquam explenda liberè connectuntur, & contingenter, probabile est certò cognosci non posse, probabilius tamen asseritur certò, & evidenter cognosci.

PRÆDESTINATIO.

IV.

ESt præparatio gratiæ, & beneficiorum Dei, quibus certissimè liberantur quicumque liberantur. Electionis Prædestinatorum ad gloriam inquirentes rationem, nullam ex parte creaturæ electæ deprehendimus, illius proinde motivum, probabilissimum est aliud non esse præter Dei beneplacitum. Verùm præter hanc electionem, nulli ex parte creaturæ innixam motivo, aliam voluntatem admittimus, qua per operum exhibitionem salvat electos. Etsi nullus homo valeat sibi, vel alteri prædestinationem mereri, Christus tamen Dominus vera causa est illius meritoria.

EFFECTVS PRÆDESTINATIONIS.

V.

CUm Prædestinatio originale supponat, hinc fit universum connumerari non posse inter prædestinationis effectus, beneficio tamen supervenientis dispositionis extrinsecæ Prædestinati substantia inter prædestinationis effectus recenseri potest; Peccati item permissio, merita quoque mortificata, & gratia interrupta, nedum ut reparata, sed ut primò collata, vocationes insuper, quæ ab initio inefficaces exstiterunt, dummodo ad memoriam redactæ, vim habeant suadendi, & cor toties Divinæ gratiæ motibus percussum emolliendi, atque vincendi.

PROCESSIONES DIVINÆ.

VI.

IN Divinis datur processio unius Personæ ab alia; una generatio, alia spiratio ritè nuncupatur, quibus ita Divina fecunditas ad intrà adæquatur, & exhauritur, adeò ut plures excogitari non valeant. Processiones autem huiusmodi mediatè, & radicaliter progrediuntur à Natura Divina, immediatè, & formaliter ab intellectu, & voluntate, mediantibus actibus dicendi, atque spirandi, qui ab intelligere, & velle distinguuntur ratione. Explicandæ proindè sunt Processiones Divinæ ad instar actionum immanentium, non transeuntium.

PRO-

PROCESSIO FILII.

VII.

VErbi Divini Processio est generatio propriè, & univocè dicta. Ratio præterea Verbi eadem formaliter est cum ratione Filij, unde idem est dicere, ac generare. Verbum procedit ex cognitione essentiæ, Personarum, & possibilium. In Patre est potentia realis generativa, non respectu generationis secundum se sumptæ, sed respectu Filij producti. Neque in sola Essentia, neque in sola Paternitate ratio adæquata principij generativi consistit, sed in Essentia ut Paternitate modificata. Ita tamen, ut Relationi solum competat esse conditionem, seù complementum potentiæ, non verò potentiam.

PROCESSIO SPIRITVS SANCTI.

VIII.

CUm Spiritus Sanctus à voluntate per modum impulsus procedat, Filius autem per intellectum, hinc rite discrimen inter utriusque processionem affertur, ratio insuper datur, cur una dicenda sit generatio, non altera. Spiritus Sanctus procedit à Filio, in cuius Processionis defectu non posset realiter ab illo distingui. Pater, & Filius unum sunt Spiritus Sancti principium, quod nullo pacto supponit pro spiratore in communi, constituto ex spiratione activa, & Essentia. Vera est hæc propositio Pater, & Filius diligunt se Spiritu Sancto.

RELATIONES DIVINÆ. 161

IX.

Divinarum Personarum distinctio à relationibus necessariò petenda est, in quibus omnis inter Divinas Personas oppositio fundatur, in Essentia etenim unum omnimodè sunt. Reales proindè illas, non rationis esse fatemur, intrinsecas, non extrinsecus advenientes, subsistentes, non inhærentes. Licèt summa sit inter Essentiam, & relationes Divinas identitas, rationis tamen opera ab illa distinguuntur. Item quamquam relationes Essentiæ identificatæ eiusdem perfectione infinitè perfectæ reddantur, ab illa tamen præcisæ nullam sui generis perfectionem involvunt Essentiæ superaddendam.

INCARNATIO.

X.

Incarnationis impossibilitas nulla ratione evincitur, possibile est igitur Deum incarnari, nulla neque ex parte Naturæ, neque ex parte Personæ repugnantia occurrente, possibilitatem autem, vel existentiam incarnationis solius rationis naturalis conatu, citra omnem Fidei adminiculum humana mens, vel Angelica certò indagare non potest. Convenientissimum fuit Deum incarnari, id autem absolutè necessarium non fuit; nisi Deus genus lapsum, nedum vellet redimere, sed & pro illius peccato, quod infinitæ est gravitatis condignam satisfactionem exigeret, à pura Creatura irreddibilem. Satisfecit, ergo Christus Dominus non solum pro peccato originali, sed etiam pro quocumque actuali, quæ satisfactio non solum fuit ad æqualitatem, sed etiam superabbundans, imò, & de toto rigore iustitiæ.

CHRI-

CHRISTVS.

XI.

HUmanitas Christi nec per opera prioritate temporis, vel naturæ præcedentia meruit, aut mereri potuit Unionem hypostaticam sicut nec per actus subsequentes. Verbum immediatè terminavit humanitatem assumptam per subsistentiam relativam, Nulla persona creata, etiam de potentia absoluta potest alienam naturam terminare, sicut nec divina naturam creatam assumere propria personalitate retenta. In Christo est gratia, & Sanctitas substantialis à divinitate, & subsistentia Divini Verbi formaliter proveniens. Humanitas Christi Verbo unita peccare non potuit, peccato cum unione composito, sicut nec peccato Unionem hypostaticam destruente. Ita fuit impeccabilis, ut liberè impleverit præceptum Patris de morte subeunda.

FINIS.

Disputabuntur publicè Florentiæ, recurrentibus Festivis Solemnijs S. Andreæ Corsini Carmelit. Collegij Protectoris: Obiectis satisfaciet idem, qui supra, sub assistentia A R P. Magistri Fortunati Cortesi Carmelitæ Senensis in eodem Collegio S. Theologiæ Regentis.

Anno 1709. *Mense January Die   Hora*